



Misc. 6<sup>o</sup> Q.

Kat. Misc. I, 63.

A  
15  
15

Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE

CHRISTO HOMINE OBLI-  
GATIONE LEGVM DIVINARVM  
ANTECEDENTE ET EX-  
TERNA SOLVTO

---

QVAM

SVB VMBONE

VIRI SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI AMPLIS-  
SIMI, AC DOCTISSIMI

SIGISM. IACOBI BAVMGARTEN

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE IN REGIA FRIDE-  
RICIANA PROFESS. PVBL. ORDIN.

PRAECEPTORIS AC PATRÓNI SVI AETER-  
NVM DEVENERANDI

D. SEPT. M DCC XXXXII.

ERVDITORVM EXAMINI SVBIICET

AVCTOR

IOANNES NICOLAVS KIRCHHOFF

MAGDEBURGENS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE, 1748.

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



INCLVTAE  
REIPUBLICAE MAGDEBURGENSIS  
SENATVI  
SPLENDIDISSIMO,  
VIRIS  
ILLVSTRI, GENEROSISSIMO, AMPLISSIMIS, CON-  
SVLTISSIMIS, PRAENOBILISSIMIS, DOCTISSI-  
MIS, MAXIMEQVE STRENVIS,  
DOMINIS,  
PRAESIDI,  
CONSVLIBVS,  
SYNDICO ET QVÆSTORI,  
PRAETORI  
SENATORIBVS  
*RELIQVISQVE MEMBRIS DIGNISSIMIS*  
PATRIBVS PATRIAЕ  
DE RE ET PVBLICA ET LITTERARIA  
MERITISSIMIS  
DOMINIS  
PATRONIS ET FAVTORIBVS,  
PIA MENTE SEMPER COLENDIS

INCIPIT  
RELIATIONE MAGDABURGENSIS  
DEBITA ANIMI VENERATIONE  
SVMMOPERE COLENDIS  
HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
IN GRATISSIMI ANIMI TESSERAM,  
IVNCTIS ARDENTISSIMI VOTIS,  
VT FAVSTA QVAEVIS SVMMVM NVMEN IN INCLVTUM  
HVNC ORDINEM IVBEAT,  
SACRAS ESSE VVLT  
AVTOR OBSTRICTISSIMVS.



## PROOEMIUM

**Q**uodsi mihi a natura tanta ingenii vis concessa esset, vt, quidquid grauioris momenti mihi libitum sit, ita ad fabre, ita concinne eleganterque typis mandare pollerem: nullus dubitarem, fore, vt apud aequum rei arbitrum non audaciae solum, verum etiam rei iam dudum confessae suspicionem effugiam. Verum tantam ingenii vim longe mihi est optare quam sperare facilius. Vbinam igitur gentium fui, quid molitus sum, quidue consilii cepi? Nihilne me curta virium supellex, nihil grauissima & implicata rei indeoles, nihil autoritas summorum virorum, quorum industriad operamque haec doctrina iam pridem exercuit, deterrere potuerunt? Conscius omnino optime sum virium tenuitatis, diu multumque etiam mecum luctatus sum, priusquam animum ad tirocinium hoc ponendum appellerem, nec vnguam fecissim, nisi eorum, quorum mea salus interfuit, & praceptoris maxime, cui plus quam vitam debo, beneficia memet mihi eripuissent, artissimoque obligationis vinculo adstrinxissent. Doctrinam vero, quam pertractandam sumsi, grauissimam maximeque intricatam esse non ignoro. Verum nolite, LECTORES, conamina mea qualiacunque indignari, vobiscum potius reputate, me consilium istud cepisse, non quidem vt alios, sed omnia me ipsum, argumentum, quod elegi, curatius meditando, rectius edocerem. Nec omnino me fugit, rem omnem iam pridem confessam exantamque esse theologorum summorum opera & industria. Quid vero vetat? veteranis illis militibus me tironem adiungere, praesertim

A.

sertim

## DISSERTATIO THEOLOGICA

2

fertim in doctrina, ab infinitorum hominum rabie vndeque allatrata. Quis enim est? qui nesciat, quanto agmine omni aequo doctrina de seruatoris nostri persona sit experta aggressorum insultus, non tamen est, quod hydra hacc lernaea nostris proh dolor! temporibus extincta iaceat, crescit in dies singulos hostium numerus, longe lateque serpentis prauis peruersorum hominum conatus, equis quadrigisque veritatem hanc labefactare tentantes? Quid magis igitur in votis habere possem, quam ut huiusmodi farinac mortales miseri hisce in rectam abducerentur viam. Verum quid conuictione aliorum difficilis? Confido interim vos, LECTORES, conaminibus meis exiguis album adiectus calculum, siveque per humanitatem vestram laboris mei lacunas suppleruros. Ceterum ordinem hunc secutus sum: primum notiones principiaque quaedam ex I.N. et Theol. defuntas praetexui. Deinde argumentationem ipsam aggressus sum. Coronidis denique loco consecataria quaedam dogmatica adieci. Destinaueram quidem ab initio aduersarii cuiusdam recentioris in ephemeridibus litterariis commemorati argumentis conuel- lendiferent operam meam, temporis vero iniuria propositum fecit irritum. Specialiorem ordinem capita paragraphorum in mar- gine indigitabunt.

### §. 1.

*de obligatione  
in genero.* **V**nici nostri mediatoris IESV CHRISTI obligationem rite no-  
bis disquisitur, id ab initio agendum erit, vt vocum si-  
gnificationes recte figendo, veritatesque ex philosophia  
practica desumptas nonnullas ceu principia praemittendo, omnes  
ambiguitatum latebras devitemus. In his fibi primum vindic-  
at locum obligationis vox, quam, vt paullo altius rem deriuemus,  
generalius desirimus per connexionem elaterum animi cum  
actionibus (\*). Elatetes animi sunt representationes appetitio-  
nis auersationisque causae impulsuiae (per Psychol.), quae si ap-  
petitionis auersationisque sensitivae sunt, dicuntur stimuli; si  
distinctae, motiva sunt. Vnde duplex obligationis species  
emanat; hanc vocant moralem, illam non moralem (\*\*).

(\*) Desi-



## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 3

(\*) Definitionem hanc κατ' αὐτολογίαν esse compositam nemo non videt, nec prorsus vnu loquendi destituti sumus CL. DARGES in iure nat. eam sic definit: est connexio rationum cum actionibus, quae facile cura nostra conciliari potest, nisi quod rationes has proprius determinauimus.

(\*\*) In quaestione, vtrum detur eiusmodi obligatio brutorum, facile επέχειν cum aliis eligo, dum adhuc sub iudice lis est, nec cuiusvis curtam cognitionis nostrae de brutorum animabus supellestilem penitentia saluam mouebit.

### §. 2.

Proprius igitur rei accedendo de obligatione morali (§. 1.) de obligatione potissimum solliciti sumus, quae in genere considerata consistit morali in genere in connexione moriorum cum actionibus (\*). Connexio vero nere nobis dicitur actuatu nexus inter actionem et motiuam. Hinc mirifice differunt inter se obligans et paraeneticus, nexus hunc tantum significans.

(\*) Illustr. WOLEI definitionem adoptauimus conf. illustr. HEINECCII institutionis I. N. §. 768. et THOMASII iurisprud. diu. lib. I. cap. I. §. 134. PYFFENDORFII in I. N. et G. aliam, sed vt ipse fatetur, obligatio- nis passiuac suppeditanis notionem lib. I. cap. VI. §. VI. edit. Barbe- rac. est, inquit, qualitas moralis operaria, per quam tenetur fugere aut pati aliquam rem. Ecquid opus est? crambem hac de re litigantium recoquere, adum ageremus, si in confringendis telis contra hanc notionem jaculatis iureconsilis potissimum, VLPIANI notionem secutis, operam perderemus, cum tanti momenti non sint, atque a multis iam declinata.

### §. 3.

Fluit igitur ex notione nostra I. ad obligationem moralis de intellectu et item requiri intellectus voluntatisque usum. Obligatio enim est voluntate ad connexionem moriorum cum actionibus (§. 2.): motiuam sunt re. obligationem praesentationes appetitionis auersationisque rationalis seu volitio- nis nolitionisque causae impulsuiae (§. 1.). Adeoque in obli- gatione adsunt praesentationes distinctae aequae ac volitiones; quae facultatem duplificem supponunt in ente, facultas distincte sibi aliquid representandi, efficit intellectum; volendi, volun- tam (per princ. Psychol.). Hinc ad obligationem moralem requiri-

A 2

requi-

## DISSESSATIO THEOLOGICA

4

requiritur intellectus voluntatisque usus. Iam bruta intellectu et voluntate destituti sunt, hinc nec moraliter obligari queunt (§. 1.). Ens intellectu voluntateque praeditum dicitur spiritus (per Psychol.) adeoque solus spiritus moraliter obligari potest.

§. 4.

de libertate ad  
obligationem  
necessaria.

II. Ad obligationem moralem libertatem requiri ex nostra definitione hac ratione eruere possumus. In obligatione connectuntur motiva cum actione (§. 2.). Actio per obligationem ad existentiam transferenda (§. 2.), est determinatio, quae rationem sufficientem in ipso agente habet (per princ. Ontol.), hinc in potestate agentis posita est, quae est actio spontanea (per princ. Psychol.). Connectitur vero cum motiuis (§. 2.), quae constituant libitum distinctum, (per Psychol.) adeoque est actio cum libitu distincto coniuncta, quae dicitur actio libera (per Psychol.): actio libera supponit facultatem, quam libertatem vocant, hinc omnis obligatio moralis requirit libertatem (\*). Actio libera non solum spontanea est, sed & ratione executionis libera sit necesse est (per Psychol.), seu actionis oppositum mihi aequa physice possibile esse debet (\*\*), nec minus moraliter libera. Quomodo enim actionem absolute et physice possibilem legibus repugnantem, quibus tamen per obligationem conformanda fuit, obligationi subiiceres? Hinc actiones absolute et naturaliter necessariae obligatione carent. Oppositum enim actionum eiusmodi non habet locum, quis unquam hominem ad circulationem sanguinis obligatum dicitur? Licet in confessu sit, dari actiones liberas circa hos actus mere naturales, adeoque & obligationem.

(\*) Tantum abest igitur, ut obligatio moralis libertatem tollat, ut eam potius confirmet. Quamuis concedamus, libertatem externam per illum quodammodo restringi, ita, ut obligatio actiones moraliter necessarias efficit. Vide sis M. V. WAGNERI tractatum de libertate §. 33. 34.

(\*\*) Memoratu dignissima hac de re pronunciat PUFFENDORFFUS praeludatus in Iure Naturae ex versione Barbeyrac. lib. I. cap. 6. §. 6. *Vne des choses qui rendent l'Homme susceptible d'Obligation, c'est donc qu'il a une volonté capable de se tourner vers l'un ou l'autre des deux côtés opposés.*

DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 5

opposéz. & par consequent de se conformer à quelque règle morale &c.

§. 5.

Obligatio est connexio motiuorum cum actionibus, obligatio naturalis et arbitria. (§. 2.) connexio est actus (§. 2. cit.), qui agnoscit causam (per Ontol.), quae latitat vel in agentis actionis indole, vel in arbitrio superioris. Vnde diuersae obligationis moralis remanant species. Si nexus iste proxime ex natura agentis & actionis intelligi potest, oritur obligatio naturalis: si ex superioris voluntate proxime originem trahit, obligationem vocant positivam seu arbitrariam. Superior vero est aut deus aut homo, hinc obligatio arbitraria, vel diuina vel humana est, pro diuersitate statuum variis praegnans speciebus. Natura omnium finitorum voluntate diuina nititur, adeoque obligatio naturalis suo modo gloriatur diuina, prodiret inde obligatio mixta positivo-naturalis. Quo vergit: Vox naturae est etiam vox dei. Praeterea in vnaquaque obligatione discernendum venit ens, quod nexus hunc actuat; er ad quod nexus iste dirigitur. Prius dicitur obligans, posterius obligandum.

§. 6.

Obligatio vel dependet ab ipso agente seu ex agente in obligatio inter se considerato intelligi potest, vel ab alio extra eum posito de- terna et exten- pendet (§. 5.). Vnde vsu venit inter recentiores I. N. inter- na- pretes quosdam, vt obtentu huius considerationis obligationem naturalem, internae; arbitrariam vero, externae nomine indu- rent (\*). Quibus et nos calculum adiecturi, ab interna obliga- tionem omnem prescribimus superioris voluntatem, (§. 5.) quip- pe quae externa audit, & tantum requirimus, vt nexus iste indeque fluens obligatio in ipsa agentis actionis natura causam suam inueniat. Licet non plane inficias eamus, eodem iure, quo §. anteced. demonstrauimus, fieri posse, vt obligatio huma- na interna simul prematur externa sicut forum poli & soli in vnum coalescere possunt diuerso respectu, nulla tamen contradic- tio nobis obtrudi poterit, si ab obligatione interna qua- tali.

A 3

## DISSERTATIO THEOLOGICA

tali superioris voluntatem relegamus, siquidem non in foro humano solem, verum etiam in foro diuino causa nobis agenda erit, ita ut DGVVM acque ac hominem obligatione interna tene-ri hisce nobis viam demonstrandi pandamus, de quo infra di- spicendum erit.

(\*) Mirifice quidem inter se discrepant I. N. doctores in componendis hisce notionibus. Alii enim externam obligationem cum perfecta con- fundentes, eam restringunt ad externam coactionem, quae nostra de- finitione angustior est; alii vero, quorum antesignanus Cl. CANZIVS est in *disciplin. moral. cap. 2. §. 60.* hanc externae irruunt notionem: cui- tametsi iniuria fiat atque priuatim damnoſa resistere non licet, ne ma- jora mala committantur; Internae vero: quae proficiuntur ex lege, quae nobis semper, quod publice bonum est, iniungit. Absit, ut virum omni laude maiorem obelis notaremus, id tantum monemus, conceptus ipsius obligationis externae ad internam commode referri pase. In inter- nali vero V. Cl. nimis rigorofus videtur, vt eam lege circumscripati pronunciet. Sufficit viros bene multos I. N. praecepta *azepiBoc* tradentes a partibus nostris flare, Conf. PUFFENDORFF. L. c. §. 4. et CL. DARGES in *Institut. jurispr. uniuers. KOHLERVM* aliosque. Praeterquam obex hic ponitur nobiscum missitabitibus de omissione mentionis su- perioris in notione obligationis, cuius interna plane expers est, quod adhuc sole clarius in obligatione Dei infra elucescat.

## §. 7.

*de lege.* Pergimus iam ad obligationis correlatum, quod legis no- mine insignitur, qui terminus cum multis obnoxius sit ambi- guitatibus, nostrum erit, ut ad vitandos confusionis scopulos varios istius significatus scerentes adaequatam ipsi adstruamus notionem. Primum lex latissimo et metaphysico sensu nuncu- patur quaelibet norma seu propositio enuncians determinatio- nem rationi conformem, unde et determinationes entium ab- stractorum, quibus mathesis yniuersa occupatur, et concreto- rum corporum aequa ac animarum legibus fruuntur. Dein- de sensu strictiori est norma determinationum moralium, quae in philosophia practica locum potissimum habet. Strictissimo denique et adaequato sensu lex est promulgata superioris vo- luntas obligans, quam notionem etiam in sequentibus reten- turi

DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 7

turi sumus. Primo igitur alueo inde fluit, ad legem pertinere primum, superiorem hinc et inferiorem adesse debere, deinde obligationem superioris, vbi enim est lex, ibi et obligatio, et externa quidem (§. 6.). In obligatione occurunt motiva (§. 2.), quae sunt volitionis nolitionis causa impulsuæ (§. 1.), iam nihil appetimus nec auersamur nisi sub ratione boni vel mali (per Psychol.), hinc motiva sunt repreäsentationes boni malique (§. 2.), repreäsentationes mali in lege obuiæ dicuntur poenae, adeoque cum qualibet lege coniunguntur poenae, nec proprie praemia legem afficiunt. Vnde et ICtis placuit in definitione legum sanctionis poenalis mentionem inuicere, cuius defectus nostram definitionem arguere non poteris. Porro discrimen legis a pacto exinde in aprico ponitur. Pactum enim est promissio ab altero acceptata, quamdui adeo non ab altera parte de consensu constat, tamdiu non ad id obligari possumus, hinc obligatio non ex sola alterius pacientium voluntate penderet, vii tamen legislator gloriatur, licet praegressa acceptatione ad pactum seruandum perfecte obligari possumus. Denique cum in lege obligatio adest, de actione lege prescripta idem valebit quicquid (§. 3. et 4.) de obiecto obligationis demonstrauimus. Pluribus consecutarii commode vacare potest tractatio nostra, quare abs re esset ea in medium proferre.

§. 8.

Leges nituntur obligatione superioris (§. 7.), quae est ar- de lege diuina  
bitraria (§. 5.), hinc vel humana vel diuina (§. cit.): leges itaque et humana,  
vel diuinæ vel humanae sunt. Legum interim humanarum  
ea est indoles, vt ex conuentione quadam primordia demum  
ceperint, sicut ipsum imperium hominum in alios paëtitium ab  
initio fuit. Longe vero diuersa est ratio legum diuinorum,  
quarum obligatio, sicut DEVS o. M. omnium rerum creatarum  
auctor et statutor imperio essentiali in eas fruitur (per princ. Theol.);  
non in consensu hominum, sed in ipsa natura circumscripta sita  
est. Sicut obligatio externa pro diuerso respectu ei interna esse  
potest

## DISSERTATIO THEOLOGICA

3

potest (§. 5.): ita et erga leges diuinas et humanas simul ceteris paribus interna esse potest obligatio.

§. 9.

de obligatione  
antecedente &  
consequente.

Pactum est promissio ab altero acceptata (§. 7.), quod et obligationem admittit (§. cit.). Sed ita ut illa consensum alterius pacientium excipiat et consequatur, hinc obligatio, quae ex pacto pendet, consequens, quae non, antecedens dici potest (\*). Exinde patet, cum brocardicon verissimum est: ad pactum neminem cogi posse, obligationem in pacto obuiam ab ea, quae legum est, maxime distare, adeoque consequens, non est externa obligatio (§. 6.). Etenim omne pactum qua tale, supponit hominem sui iuris, imperiumque alienum respuit. Antecedens igitur obligatio ita comparata est, ut ex ipsa obligandi subordinatione essentiali originem trahat. Cum pactum factum bilateraliter est, eius obligatio non perfecte coincidit cum interna (§. 6.), dum alter nexus hunc alteri possibilem ficit, alter vero consensu facto quasi complementum huius possibilitatis adiicit (§. 7.). Denique quum pactum obligatione gaudeat; nonnisi de actionibus liberis absolute, physice et moraliter talibus pacisci licet (§. 4.).

(\*) Nobis vitio vix verti poterit, quod hanc obligationis speciem insulatis nominibus designaverimus, sufficit denominationem in ipsa re latitare. Alii antecedentem; congenitae, consequentem; aduentiae insigniunt nomine, qui termini tamen ambiguitate omni non carent.

§. 10.

de obligatione  
ad obedientiam  
actiua &  
passiuam  
seu ad poenas.

Haec tenus in disquirendis obligationis speciebus nobis potissimum subiectum, cui inhaeret obligatio, curae fuit, restat igitur, ut & obiecti rationem habeamus. Obiectum obligationis in genere sunt actiones liberae (§. 2. 4.). Naturalis occupatur in conformatione earundem cum dictamine rationis (§. 5. 6.); arbitria vero cum dictamine superioris (§. 6. 7.). Actus ille dicitur obedientia, quae quum et actiua et passiua sit, obligatio despescitur vel in obedientiam actiua vel passiua (\*). Quarum illa est, si quis praescriptas actiones legum patrare tenetur: haec,

si

## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 9

mutationes passiuas lege praescriptas subire adstringitur, quibus potissimum perpeccio poenarum ex violatione legum, ortarum annumeranda est.

(\*) Multis quidem celeberr. Theologorum haec obedientiae diuisio offendiculo fuit, prorsus ut Theologus Giesensis MENZERVS tom. 3. disput. Giesens. disput. 15. thes. 27. 28. 29. et tom. 2. oper. disput. 7. de Christo pag. 487. his verbis suam hac de re indignationem profert: obedientia activa est conformitas cum lege ac proinde proprie et exquisita vocatur obedientia et per se; passiva vero dici solet perpeccio poenae violatori inflictae, quae si obedientia dicenda sit, vocabitur εν πλοκτι και ex consequenti, certe sola et sine concurso obedientiae aktiva non est conformitas cum ipsa lege, quod idem paucis interiectis applicat ad obedientiam Christi, cui et facile subscribo ad suspensionem contradictionis cum §. 2. amoliendam. Ad passiones enim καιτ' αυτω non datur obligatio. Verum enim vero quum poena consecutarium violationis legis seu actionis liberae sit, et res ipsa discrimen indigit, diuisio hacc nihil detrimenti capit.

### §. 11.

Obligatio est connexio motiuorum cum actionibus (§. 2.) ad obligationem requiriuntur personae. actiones sunt determinationes quae rationem sufficientem habent in vi aliqua (§. 4.) vbi est vis ibi adeat substantia, (per Ontol.) substantia est ens per se subsistens (per Ontol.). Iam actiones in quas obligatio cadit, sunt liberae (§. 4.) quae ex representationibus distinctis fluunt (§. eod.) hae testantur de intellectu (§. 3.) ens per se subsistens intellectu praeditum seu suppositum intelligens dicitur persona, adeoque nihil nisi persona obligari potest. Fluit adeo, bruta et res corporeas quatales officiorum plane expertes esse (§. 3.). Quamuis res corporeae ex coniunctione cum persona quadam ad obligationis spheraem pertrahi possint. Vnde & officiorum corporis humani moralium doctores preecepta tradunt.

### §. 12.

Deus est spiritus perfectissimus. (per utramque Theol.) vtrum Deus Ioh. IV. 24. spiritus est ens per se subsistens intellectu voluntateque praeditum (§. 3.) hinc Deus moraliter obligari potest (§. 11. 2. et 3.) Nam vero est spiritus perfectissimus, qui omnes B perfec-

## DISSERTATIO THEOLOGICA

perfectiones necessario possidet, adeoque imperium summum in res contingentes spiritus aequae ac reliquas res creatas in vniuersum omnes penes eum essentialiter est (per Theol.), hinc superioris expers externa obligatione legibusque omnino solutus est (§. 5. 6. 7.) Iac. IV. 12. Act. XVII. 24. Daniel. V. 21. 23. Matth. XXVIII. 17. 18. hinc plenaria independentia moralis cum essentiali illius coalescit. Quum vero ex essentia ipsius hanc ratione nulla obligatio erga alium necessario fluat, & obligacionem antecedentem DEVS o. m. respuit (§. 9.). Adeoque remota obligatione externa et antecedente remanet interna et consequens (§. 6. 9.). Quodsi vero interne obligatur, nexus in ipsa eius essentia fundatur (§. 6.), essentia autem DEI consistit in complexxu omnium perfectionum compossibilium (per Theol.) adeoque omnis eius obligatio nitoritur perfectionibus ipsius, quae normae stabiles et perpetuae omnium suarum actionum euadunt, ita ut semper optimum eligat, malum contra infinito odio prosequatur. Quae perfectiones inter se tam arte vnitae sunt, vt omnes ad actiones diuinis simul conspirent, vnde et ordo in ipso necessarius certas regulas agendi secum fert, quanquam non inficias eamus, vnam alteramue perfectionem in actionibus diuinis magis minusue se manifestare. Ad obligationem consequentem quod attinet ex Theol. constat reuelata dari promissa diuina, DEVS autem veracissimus est Hebr. VI. 17. 18. Tit. I. 2. et vi sufficiente ad queavis praestanda callet Pf. XLII. 12. summeque sapiens est Ioh. III. 23. hinc adsunt motiva, quae DEVS cum promissis suis connectit, cumque prouida etiam cura sua recepiuitatem consensumque spirituum finitorum praeuidere possit, pacti conditionem induunt (§. 7.) DEVS igitur ad promissa sua seruanda obligatur ita, vt homo per ipsas has laudatas perfectiones iure fruitur impletionem a DEO veracissimo exspectandi, adeoque & obligationem consequentem admittit (§. 9.) (\*).

(\*) Amplissimus sane se nobis veritatum aperit campus quem emetiri circumscriptae dissertatiunculae limites interdicunt. Interim nonnulla silentio praeterire nefas duximus. Quorum vnum est, quod adeo libertas interna obligatione nullam faciat iacturam (§. 4) quid quodcum in subiungit

## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 11

dubium sit obligationem eo maiorem esse, quo plura et maiora motiva cum ea coniuncta sunt; deus vero pro representatione rerum omnium distinctissima rem cognitione plane exauriat adeoque plura et maxima motiva cum actionibus suis coniuncta habeat, obligatio ipsius interna maxima sit. Alterum, quod ex dictis fluat, est, deum maxima morali necessitate frui, cum obligatio moralem necessitatem inferat (§. 4. Schol.) et idem confirmat supra laudatus WAGNER in tract. de libertate cap. 10. §. 384.

### §. 13.

deus supremus legislator omnium spirituum finitorum vtrum merus homo dici possit ex lege respectu legum diuinuarum.  
est (§. 12.), hinc iure fruitur ipsorum actiones legibus circumscripti, iam homo est spiritus, intellectu voluntateque limitata gaudens (per Psychol.), hinc omnes homines legibus diuinis obligari possunt. Iam deus actu omnes omnium hominum actiones legibus circumscriptis non solum naturalibus (per princ. I. N.), verum etiam positivis (per Theol. reuel.) Exod. XX. Deut. V. hinc nemo mortalium respectu dei dici potest ex lege. (\*) Obligatio haec erga deum tanquam a superiori non solum externa (§. 5. 6.), verum etiam, cum ex essentiali subordinatione fluat (§. 12.), & antecedens est (§. 9.).

(\*) Licet ex intentione dei nonnullae leges ad certum mortalium genus restrictae sint, attamen inde nulla potestatis legislatoriae limitatio inferri potest. Praeterea cum limitatus intellectus humanus aequo voluntas facile a vero rectoque aberrare possit, inter diuina beneficia referendum est, quod homines legibus circumscripti, ne ductu confusione in perniciem ruant. Hinc mirifice fallunt statum hominum legibus prorsus solutum longe felicior esse somniantes, praesertim primorum hominum perniciose insequuta. Denique cum iustitia dei immutabilis sit, leges ipsius aut obedientia activa aut passiva necessario implendae sunt, nullaque dispensatio, ut imbecillitas hominum non nunquam postulat, locum habere potest.

### §. 14.

Meritum est actio bona ultra mensuram praescripti legi respectu satisfaciens (\*). Quaecunque adeo actio legem non superat de nihil mere-meriti expers est. Iam omnes omnium hominum actiones rere potest. ita comparatae sunt, ut per naturae corruptionem viribus leges diuinas plene implendi destitutae sint, tantum abest, ut eas-

## DISSERTATIO THEOLOGICA

easdem superare debeant (per Theol. reuel.) hinc nulla actionum humanarum meriti particeps fieri potest Hiob XLI. 2. Rom. XI. 34. 1 Cor. II. 16.

(\*) Mirifice quidem inter se dissidentur eruditii de notione meriti: non tamen est quod veritati inde elicite quidquam derogetur quaecunque adoptaueris conceptum. Proinde male operam collocaremus nostram si in iis diuidicandis lapidem moueremus, contenti erimus si vel sensu latiori meriti notionem formauissemus.

## §. 15.

vtrum *avtōxēglas*  
hominum sit  
licita;

Obligatio est connexio motuorum cum actionibus (§2.), actio vero deber esse libera non absolute et physice solum, verum etiam moraliter (§. 4.), quaecunque ergo actio moraliter impossibilis est, obligationis expers est (§. cit.). Iam vita tanquam donum peculiare diuinum DEO Summo numini vnice acceptum referendum commonstrant sacrae litterae Act. XVII, 25. 26. 28. hinc usus eius voluntati ipsius conformandus est, (§. 13.) quae nobis aequae per leges naturales ac positivias dictitat, vt in ea conseruanda omnem lapidem moueamus. Per leges enim naturales ad perfectionem nostram quaerendam augendamque obligamur, quod salua vita nostra fieri nequit (per experient.) leges vero positivae conseruationem vitae nobis injungunt quod ex tenore praecepti V. decalogi satis patet Exod. XX. 3. Rom. XIII. 14. hinc spontanea vitae abdicatio legibus diuinis repugnans moraliter impossibilis est, ad quam nosmet ipsos obligare non possumus (§. 4. 8.). Iam officia erga nosmet ipsos in collisione caeteris paribus praeferenda sunt iis erga alios (per princip. moral.) hinc nemo mortalium sua sponte alterius vice ad mortem se obligare potest Deut. XXIV. 16. Ezech. XXVIII. 20. 2 Reg. XIV. 6. 2 Chronic. XXV. 4. Ps. XLIX. 8. 9. (\*) Quincunque enim sponte mortem vicariam subiret autor mortis suae, adeoque *avtōxēglas* reus esset (per princ. moral.). Ast alia conditio est, si DEVIS homini talem obligationem imponeret, tunc enim tanquam officium erga DEVUM nostris anteponendum est. Caeterum non in dimensione graduum obligationum hic versamur, vnde forsitan casus quidam es-  
tent

sent (\*\*), qui tales obligationem imponerent, si nimis officia erga DEVVM aut animam nostram vel erga vniuersam rem publicam cum hac colliderent, sed tunc moralis impossibilitas cessat (per princ. moral.) adeoque esset actio prorsus libera (§. 4.).

(\*) Problema hoc iam temporibus antiquissimis aequo ac recentioribus vexatissimum multorum ingenia exercevit. Veterum enim nonnulli Stoicorum maxime, vespasia mortis philosophiae abrepti obligacionem hanc non possibilem solum, verum etiam necessariam effinxerunt, vnde et tales propriae varia sortiti sunt nomina. Apud Graecos dicebantur *ἀντίψυχοι*, *ἀντανθρόι*, seu *substituti υπέβλητοι* et *ὑποβολμάριοι*, apud Latinos vero *piaculares* et *succedanei* dicti, conf. 10. FR. BVDAEVM in diff. 4. de erroribus Stoicorum, in *philosophia moralis* §. 5. et in *theol. moral.* P. 2. cap. 3. sect. 3. §. 16. et SAM. RACHELIVM in diff. de morte voluntaria, et in primis M. THEODOR. KRÜGER. Tract. de eo quod iustum est circa morem *semetipsum* deuouendi pro salute alterius, qui §. 8-13. catalogum horum *ἀντίψυχῶν* exhibet. Enim nemo disert ab hac deuotione improprie talis, qua quis pro salute alterius vires suas vitamque ipsam pedetentim immolat, de qua nobis non est sermo.

(\*\*). Quorum mentionem iniiciunt I. N. interpres TUFFENDORFF, GROTIUS aliquie, quos audeat B. L.

### S. 16.

Ne interim obiectiones contra hanc veritatem prorsus dubium ex intactas reliquias videamus, aliquantis per in iis remouendis peditem figere, e re nostra erit. Breuitatis causa unico (\*) tantum operam nostram impendemus ex Epist. Rom. V. 7. Paulus in hoc capite ad corroborandam iustificationem per CHRISTVM fructus illius in medium profert, quo amorem CHRISTI pro nobis mortui refert, cuius insolitam conditionem a consuetudine hominum istius aeui contrarium insimulante demonstratam dat v. 6-8. quem in finem consuetudinem hanc v. 7. allegat. In explicatione huius commatis dissentient interpretum sententiae, quidam voces *δικαιοίς* et *ἀγαθοίς* in neutro assumunt, verum nexus cum v. 6. vbi *των δοθεών καὶ ἀσεβῶν* mentio sit, masculinum indubie indigitat ob vocem *ημῶν*, nec minus cum se-

## DISSERTATIO THEOLOGICA

quente v. 8. Sensus adeo hic prodit: aegre enim aliquis pro iusto, i. e. qui officia iuris tantum, non aequitatis praeficit, moritur, quamvis pro bono, i. e. a quo beneficiis antea mactatus est, forte quisquam mortem oppetere audeat. Meticimus hic alias difficultates hermeneuticas, non adeo multum ad scopum nostrum conferentes (\*\*). Inde aduersarii inferunt: Paulum nisi approbare tamen non improbare casum quo quis alterius vice mortis poenam subire possit, hinc legibus diuinis non repugnare. Ast respondeo primum concedendo casum esse posse licitum, non simpliciter enim negauimus: ὁ ἄγαρος enim hic non explicatur, cui beneficia praeficit, an beneficia ipsius αὐτοῦ χωρὶς soli, an vero vniuersae reipublicae praefita sunt. Deinde Paulus non de obligatione eaque legitima quidquam assert. Sola enim allegatio approbationem eius non indigit, alias multa peccata a viris θεοπνεύσοις approbantur, improbatum autem ab apostolo hic non expectari potest, siquidem finis ipsius non est, ut legitimam CHRISTI mortis indolem sed insolitum & inauditum amorem ipsius pro hostibus etiam morientis comprobaret, adeoque posita hac consuetudine salvus tamen manebat finis eius. Denique satis caute apostolus loquitur per τὸ τολμαῖν, quod autoribus purissimis audaciam denotat, ecquis vñquam eam virtutem appellauit?

(\*) Reliqua loca ab aduersariis in contrarium allata sunt Gen. XLII. 37- XLIII. 9. 1. Rom. XX. 38 seqq. et potissimum 1. Ioh. III. 16. quo loco videntur praesertim AEGID. HVNNIVS, et SEBASTIAN SCHMIDIVS, et FRID. RAPPOLTVS *in theol. aphor. Ioh. tom. I. opp. theol. p. 374.* quorum obligatio aut non spontanea, (§. 15.) aut ob culpam imposita, aut non devotionem proprie tales fed impropre vii locus Ioh. monstrant.

(\*\*). De difficultatibus hermeneuticis h. c. ad eas 10. CHRISTOPH. WOLF- FIVM *in curis philol. ad h.c.*

## §. 17.

quid sit Christus.  
Hisce praemissi fini nostro proprius consulturi ad speci-  
lia sensim deueniamus. Vbi primum disisciendnm est quid  
sit CHRISTVS. Est vero essentialis dei filius incarnatus, seu cum  
humana

## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 15

humana natura personaliter vnitus. Matth. III. 17. XVI. 15.  
17. Luc. I. 35. Rom. VIII. 32.

### §. 18.

CHRISTVS est essentialis DEI filius (§. 17.), cui pater ab quod sit DEVS. aeterno essentiam suam per generationem actiuam communicauit, Ps. II. 7. Mich. V. 1. Ebr. I. 5. V. 5, hinc verus et essentialis DEVS est, Matth. XXVI. 63. 65. XXVII. 54. Rom. IX. 5, Col. I. 15. Ioh. V. 18. I. 15. Ioh. V. 20. adeoque est spiritus perfectissimus (§. 12.) intellectu omnia distinctissime sibi repraesentante, aequac voluntate optimum semper eligente, summaque et interna et externa libertate praeditus (§. cit.).

### §. 19.

CHRISTVS est DEVS (§. 18.), quicquid adeo de obligatione de obligatione  
dei (§. 12.) demonstrauimus, id etiam de CHRISTO valet. ipsius, quatenus deus est.  
Hinc nec externe, nec antecedenter obligari potest, legibus, que prorsus solutus est, licet interne per perfectiones suas aequac  
ac consequenter per promissiones obligationem recipiat summam (Schol. §. 12.) Gal. IV. 4. Ebr. V. 3. vnde etiam factum, vt sanctitate et sapientia permotus pacrum aeternum cum parte de restauratione hominum deperditas salutis iniret Ps. XL. 40. sqq. Ies. XLIX. 1. sqq. vtpote qui miseriae hominum non solum perfectissime conscius erat, verum etiam legum diuinarum indisponsabilem conditionem optime nouerat (§. 13, Schol.) Exod. XX. 5. 7.

### §. 20.

CHRISTVS est filius DEI incarnatus (§. 17.), hinc naturam de humana  
humanam simul induit, verusque & essentialis homo fuit, Ebr. II. ipsius natura.  
14. 16. I Timoth. II. 5. hinc non solum corpus humanum infirmitatibus humanis obnoxium gestauit, Ioh. XI. 41. Matth. V. 2. XIV. 20. verum etiam animam humanam (\*) intellectu voluntateque limitata dotatam habuit (§. 13.), Matth. XXVI. 38. Ioh. X. 16. 18. adeoque humanae naturae CHRISTI in se confidratae eadem est conditio, ac hominum omnium, proinde et obligationis (§. 13. 14. 15.) species ipsi competunt. Interim humana

mana natura extra vnionem cum diuina posita, est ens rationis vti §. sq. ostensuri sumus adeoque et obligatio illius deceptrix euaderet.

(\*) Conferri hic in primis meretur, quae cl. CARPOV *in psychol. sacra-tissima* satis eleganter typis mandauit. Multae insuper a Theologis huius rei ventilantur quaestiones altioris indaginis, quales de ortu humanae naturae CHRISTI et aliae, quae vero ita plerumque comparatae sunt, vt in vtramque partem disceptari queant, quare merito illis operam nostram denegamus.

### §. 21.

de vnione hy-  
postatica.

CHRISTVS est DEI essentialis filius cum humanitate personaliter unitus (§. 17.) vniri dicuntur, si plura ita proxime sibi praesentes sunt, vt vnum tantum efficiant, hinc saltim duo ad vnionem requiruntur. Variae vnionis species in theologia occurunt, qualis *vnio sacramentalis*, quae in sacramentis noui foederis obtinet; *mystica*; inter regenitos fide cum CHRISTO iunctos; et *υποστατική*; quae heic loci pertractanda venit. Consistit vero haec vnio in permeatione et mutua praesentia vtriusque naturae ad opera communia, ipse actus, qui has duas naturas CHRISTI interueniente conceptionis actu consociauit, dicitur *vnitio*, status eam excipiens vniō, quae nobis in spissa huius vitae caligine palpantibus eo magis ignota est, quo arctiori de vnione corporis cum anima nostra cognitionis ambitu instructi sumus, dum illa supernaturalis est teste Paulo 1 Tim. III. 16. licet verissima et realis sit, quod euincunt propositiones in sacr. litt. obuiac Ioh. I. 14. verbum factum est caro, non κατα μεταβολήν et mutationem passiuam, nec per αλλαγών, seu confusioinem, sed per assumptionem actiuam, ita vt secunda persona trinitatis humanam naturam in propriam hypostasin assumserit, conf. Ebr. II. 14. 16. Rom. IX. 5/ Col. II. 9. Vnio igitur haec fuit περιχώρησις, ita vt determinationes vnius naturae alteri propriae factae sint, quam communicationem idiomatum plenius §. sq. illustrabimus. Porro haec vno fuit naturarum, licet non naturalis, nec essentialis, quae in trinitate S. S. obtinet, nec acciden-

DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 17

accidentalis, nec denique personarum, vt duae personae in vnam coirent, quod aequ in se ac diuinis litteris repugnaret. 1 Tim. II. 5. 1 Cor. VIII. 6. Ephes. IV. 5. Plura occurunt in theologia dogmatica. Sequitur adeo, humanam naturam extra vniuem personalem positam, esse ens fictionis (§. 20.).

§. 22.

CHRISTVS DEVS cum humanitate personaliter vnius est de communione (§. 17.). Vnio vero haec permeatoria & mutua est (§. 21.), catione idiomata, vt natura diuina humanam sibi propriam et humana diuinam habeat. Naturae entis est complexus omnium eius determinationum, adeoque et determinationes vtriusque naturae seu attributa et modi necessario communicanda sunt, quod Theologi communicationem idiomatum appellare solent, quae in CHRISTO absoluuntur mutua appropriatione proprietatum vtriusque naturae, vt diuina natura proprietates humanae suas fecerit, et humana attributa diuina acceperit, quamuis haec appropriatione mutua fuerit, modus appropriandi tamen diuersus fuit, qui respectu humanae naturae passiuus, respectu diuinae actiuus fuit (§. 21.). Praeterea humana natura praeter hanc κονάκιον perfectionum accessione induita est; diuina vero ob gradum realitatis maximum huiuscemodi accessionis incapax, idiomata humanae naturae tantum sibi appropriauit. Quae appropriatione etiam nullam infusionem seu transgressionem attributorum vnius in alteram infert, sed probe notandum, hanc communicationem pro vtriusque naturae receptiuitate factam esse, ita vt attributa vnius nonnisi ξατ' ἀλλο alteri competant & respectu inhaesione ut modi insint, id quod ipsa vnionis hypothetica in doles requirit (§. 21.), qua nonnisi hypothetice proprietates vnius alteri naturae inhaerere possunt. Quicquid adeo vni naturae in CHRISTO θεονθρηπω imputari potest, illud et alteri vel mediate imputandum, et vice versa. Cuius rei fidem indubiam faciunt propositiones idiomaticae in sacris litteris pas sim occurrentes. Plura exhibet theologia dogmatica, quo le torem relegamus.

C

§. 23.



## DISSERTATIO THEOLOGICA

## §. 23.

*de diuina et  
humanae  
naturae.*

Humana et diuina natura ita inter se cohaerent, ut unum tantum mediatorem efficiant (§. 21.), adeoque unica tantum ex his duabus naturis enascitur persona seu suppositum (§. 11.). Iam vero aut diuinæ, aut humanae naturæ solum, aut viri simul, conuenit haec personalitas. Postremum inuoluit, quia hac ratione pars huius personalitatis diuinæ, pars humanae naturæ tribuenda esset, quod subsistentiae tanquam qualitat, non vero quantitati extensuæ (per Ontol.), aequæ ac necessariae immutabilitati filii DEI repugnaret (§. 18.), hinc aut diuinæ aut humanae naturæ seorsim competere debet. Ast diuina natura omnes perfectiones necessario possidet (§. 12.), hinc et subsistentia ab ea separari nequit (§. 18.), personalitas igitur diuinæ naturæ competens humanae adscribi nequit (§. 21.) Ioh. I. 14. Caeterum si humanitati *Θεοῦ Σωτῆρος* personalitatem abnegamus, non simul intellectum et voluntatem humanam in CHRISTO excludimus (§. 20.). Verum id innuunt salem Theologi nostrates, CHRISTVM, neque circa incarnationis initium, neque quoad in his terris vixerit, nec denique post abitum ad patrem, qua humanam naturam per se et extra unionem cum diuina substituisse unquam.

## §. 24.

*de impec-  
cabilitate  
humanae  
naturae.*

Impeccabilitas CHRISTI conficit in plenaria omnium peccatorum absentia, ut CHRISTVS tam peccato originali, quam actuali quoad inhaesionem operatiuam, non vero quoad imputationem moralem, actu caruerit, nec peccare potuerit. Duplex inde demonstrandi via se nobis aperit. Quarum prior absoluitur demonstratione, CHRISTVM reuera non peccasse, altera, nec peccare potuisse. Illa nititur evidenter testimonii; haec rationis est. Illam absoluunt SS. litt. effata, quae non solum originalis peccati absentiam extra dubitationis aleam pontunt, supernaturale ipsius nascendi Genus enarrantia, Luc. I. 34. 35. Matth. I. 18. 23. collatis cum iis, naturalem hominum generationem fontem et originem huius labis hereditariae adserentibus Pf. LI. 7. Ioh.

DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 19

Ioh. III. 6. Rom. V. 12. et ea loca, vbi nominibus hocce peccatum abnuentibus insignitur 1 Petr. I. 19. 2 Cor. V. 21. Ebr. VII. 26. verum etiam actualia peccata ab ipso segregant, Esa. LIII. 9. Ps. XLV. 8. Luc. I. 35. IV. 41. Ebr. IV. 15. Matth. XXVII. 19. 24. Ioh. VIII. 48. Alteram viam iam aggrediuntur impossibilitatem peccandi CHRISTI euincendi. Impossibilitas vero est vel absoluta, cuius oppositum in se repugnat, vel hypothetica, in certo nexo contradictorium oppositum habens, hinc *ἀναπτερνος*, vel absoluta est, soli DEO tribuenda, vel hypothetica, quam CHRISTO inesse iam demonstraturi sumus. Humana enim natura ira in CHRISTO unita est cum diuina, ut haec perfectiones suas illi donauerit (§. 21. 22.), iam diuina natura est impeccabilis (§. 12. 18.), adeoque humanae naturae impeccabilitas competere debet (§. 22.). Ast quicquid humanitati Christi communicatur, sit mediante unione hypostatica, quae hypothetica fuit (§. 21.), impeccabilitas itaque nonnisi hypothetica humanae naturae inhaerere potest (\*).

(\*) Haec in propositu dicta sunt, pleniorum disquisitionem expectaturus  
ad eam diff. de *ἀναπτερνος Christi* sub PRAESIDE nostro s. VEN. defen-  
sam §. 25.

§. 25.

CHRISTVM inter DEVVM et homines mediatorem egisse, de IESV Seruatore nostro,  
res est aequa mortalibus salutem aeternam consecuturis scitu  
necessaria, ac verissima. Mediator dicitur persona, pacis inter  
duos belligantes restitutionem curans, hinc CHRISTVS est per-  
sona reconciliationem inter DEVVM et homines satisfactione vi-  
caria actuans, cuius necessitatem brevibus sic euictam reddere  
jicebit. Omnes homines legibus diuinis morem gerere obli-  
gantur (§. 13.), at primorum parentum praevaricatione omnes  
harum legum sanctissimarum transgressores facti sunt Rom. V.  
19. 12. Ps. XIV. 3. Rom. III. 23. Hiob. XIV. 4. iam leges  
DEI aut obedientia actua aut passiva implentur (Schol. §. 13.).  
Prius miserrima hominum conditio negavit, vt pote qui in pec-

catis mortui ad bonum spirituale inepti sunt, Genes. II. 17. Eph. II. 5. Tit. I. 16. posterius ut poenam statim illis infigeret, summa de ei benignitas et gratia impediebat, siquidem hac ratione omnes in uniuersum homines aeterna morte multandi essent. Hinc negata propria hominum satisfactione necessaria fuit aliena per plenipotentiarium, ut vocant, quo deus cum hominibus perduellionis accusatis reconciliaretur, ast hic vicarius hominum non merus homo esse potuit (per demonstr.), verum et deus esse debuit, quia alias infinite violatae iustitiae diuinae aequae ac pro omnibus hominibus simul satisfacere haud potuisse, hinc CHRISTVS tanquam *Θεός των πάντων* optime huic negotio accommodatus satisfactionem hanc pro nobis praestare potuit, et etiam reuera praestitit Rom. III. 24. 25. 2 Cor. V. 18. 19. 21. 1 Tim. II. 5. Rom. V. 1.

## §. 26.

continuatio.

Possibilitatem satisfactionis CHRISTI vicariae quidem tantum demonstratam dedimus (§. 25.). CHRISTVM vero, cuius res gestas Euangelistae sollicitae et satis dilucide delinearunt actu & reuera satisfactionem hanc praestitisse, si demonstrationem posceres, non solum ob materiae amplitudinem dissertatiunculae limites transmigraremus, verum etiam apud aequum rei arbitrum veniam vix impetraremus, cum in reuelatione huius beneficii summas DEO o. m. divitias admiramur, qui in constituendis promissi seruatoris characteribus aequae ac in implendis iisdem benignissimus fuit, quare ad dogm. theol. lectorem alegamus. Interim explicationi huius satisfactionis paululum immorabitur. Cuius functio eo potissimum reddit, ut CHRISTVS DEO grauiter laeso eiusque iustitiae violatae sacrificiis vicariis satisfaceret, quod pater ob foedus aeternum cum filio de redimento mortalium genere aequi bonique consuluit 1 Ioh. II. 1. sqq. Rom. V. 1. Ephes. II. 17. 18. verum etiam hanc ob causam obligationem mortalium tanquam partis laidentis reciperet, quo legibus diuinis ab ipsis susque deque habitis obedientia sua tam actiua quam passiua satisfaceret, omnemque ipsorum reatum culpae & poenae sponte

DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 21

sponte subiret, Ies. LIII. 4. 5. 2 Cor. V. 21. Gal. III. 13. 14.  
1 Ioh. III. 4. iam vero homines ob primam παρατίσην mortem  
aeternam sibi adscierant Genes. II. 17. Rom. V. 12. 14. 17-19.  
hinc et CHRISTVS nostri causa locoque mortis poenam luere debuit Rom. IV. 25. V. 8. 1 Petr. III. 18. 2 Cor. V. 21. 15. 1 Cor.  
XVI. 3. quibus in locis particulae dia<sup>x</sup> et uirg<sup>e</sup> substitutionem  
vicariam necessario inferunt. Mors interim haec vicaria a sa-  
cris autoribus synecdochice sumitur, vt totum per pessimum  
ipsius externarum & internarum ambitum comprehendat, vn-  
de in propatulo est 1) ad satisfactionem utramque CHRISTI na-  
turam conspirasse (§. 18. 20. 25.) 2) Omnem hominum reatum  
merito CHRISTI sublatum Ies. XLIII. 5. ipsorumque salutem pos-  
sibilem restitutam fuisse Genes. XII. 3. XVIII. 18. Luc. XXIV.  
50. Gal. III. 8. 9-14. cuius demum fide in ipsum reposita actu  
participes ab ipso reddimur. 3) CHRISTVM vero pro semetipso  
satisfacere haud potuisse, quis prorsus innocens et culpa vacuus  
fuit (§. 24.), et 4) denique illum nulla necessitate physica, sed  
summa cum libertate obligationem hanc subiisse totamque istius  
praestationem ad κένωσιν referendam esse.

§. 27.

CHRISTVS mediator noster pacem inter DEVM et homi- de triplici eius  
nem restituit (§. 25. 26.), adeoque non solum cum DEO tanquam officio.  
parte laesa, verum etiam cum homine parte laedente ipsi agen-  
dum fuit, actiones istae cum ex peculiari DEI decreto & ordi-  
natione tam ab aeterno Esa. XLIX. 1. seqq. 1 Pet. I. 20. quam in  
tempore facta, per uunctionem spiritus sancti 1 Sam. II. 10. Ps.  
II. 2. XLV. 8. dicuntur officia. Officium, quo iustitiae diuinae  
satisfecit, fuit sacerdotale 1 Tim. II. 6.; officium vero respectu  
hominum duplex fuit; unum, quo hanc expiationem partam ho-  
minibus annunciauit, propheticum dicitur; alterum, quod in ap-  
plicatione eiusdem versatur, regium vocatur, adeoque CHRISTVS  
triplici officio functus est. Sacerdotale de industria in seqq.  
operam nostram exercebit; propheticum vero breuitatis causa  
omittendum erit; remanet regium, paucis explicandum, quod  
potissi-

## DISSERTATIO THEOLOGICA

potissimum consistit in complexu operationum CHRISTI, quibus partae ab ipso salutis applicatio absorbitur, applicatio haec non nisi remotis impedimentis eiusdem obtineri potest, impedimenta autem fuerunt, et satanas, et ipse homo una cum reliquis rebus contingentibus, hinc CHRISTO competere debebat ius illorum omnium mutationes ita dirigendi, ut fini huic obesse nequeant, quare et satanam debellavit. *Luc. I. 27. Tit. I. 12. 14. 1 Pet. I. 9.* et homines fide cum ipso iunctos cura sua singulari defendit, et reliquas res contingentes ita gubernavit, ut saluti hominum inferirent, adeoque primaeuam legitimam hominum erga DEVM relationem restituit, quae regnum ipsius efficit, cuius administratio duplici iure CHRISTO competit, tum, quatenus DEVS est, cui omnes res contingentes spiritus maxime morem gerere tenentur (*§. 12. 18.*), id quod etiam humanae ipsius naturae tribuendum est (*§. 22.*), tum etiam ex foedore aeterno inter personas diuinias de redimendo mortalium genere (*§. 26.*).

## §. 28.

continuat.

**C**HRISTVS est rex omnium rerum contingentium (*§. 27.*), adeoque omnes eius subditi sunt, neque quisquam ipso superior esse potest (*§. 7.*), hinc externe obligari nescit (*§. 6.*), adeoque prorsus sui iuris est, ita, ut dominio suimet ipsius praeditus sit, ut principes seculares summa potestate instructi a nemine pendent, sed suimet ipsius possessione et proprietate gaudent. Ast, inquis, sequitur tantum ex hac demonstratione, CHRISTVM respectu entium mortuorum dominum sui esse independentem, non vero respectu DEI, cum saltim humana ipsius natura imperio reliquarum personarum diuinarum subiaceat, quod etiam sacr. litt. paginae confirmare videntur. *Ioh. V. 22. Act. XVII. 31.* patrem omne iudicium tradidisse filio, adeoque imperium CHRISTI dependere a patre. Verum respondeo, in antecedentibus iam demonstrauimus, CHRISTVM esse aequem DEVM ac patrem (*§. 18.*), ipsi sicut cum patre imperium independens commune est (*§. 19.*) iam humanae naturae attributa diuinae communicata sunt (*§. 22.*) adeoque imperium independens humanitati tribuendum est (*§. 27.*).

## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 23

(§. 27.). Ad traditionem huius iudicij quod attinet, diuinitati CHRISTI si adscribere velis, concedo ea ratione, qua et essentiam ipsam ab aeterno generatione actiuia a patre accepit; et aeterno cum reliquis personis diuinis foedere iudex constitutus est: si vero humanitati Θεούθρωπος, iterum ad casta tua transeo, siquidem omnes perfectiones ex vnione hypostatica ipsi obtigerunt, circa quam patris aequa ac spiritus sancti operationes simul versatae sunt, adeoque eo respectu dependet a patre, verum vno haec respicit officium mediatorum, quod ex mero CHRISTI beneplacito emanauit (§. 25. 26.), proinde dependentia voluntaria fuit, quae cum analogia fidei nostratium, et scopo nostro optime conspirat. Porro eodem iure ex hoc dicto elicere nobis licet, patrem potestatem iudicariam amisisse, nisi hic relationem operum oeconomicorum cum sanioribus intelligere malles. Eodem plane recidunt, quae iam inde ab antiquissimis temporibus vltro citroque disceptata sunt de seruitute CHRISTI (\*), distinguendo nimurum inter id, quod Θεούθρωπος in se considerato, et quod respectu officii mediatorii & ob κένωσιν ipsi inhaeret, hinc sarta rectaque manet nostra argumentatio, CHRISTVM dominio suum ipsius independenti frui. Nec desunt vestigia in sacris litteris, quae huius potestatis CHRISTI illimitatae fidem adstruant optimam Ioh. X. 18. vbi abdicationem vitae suae aequa ac receptionem in sola ipsiusmet potestate positam explicite commemorat.

(\*) Quam vehementer exacerbabant, tam Graecorum, quam Latinorum patrum hac de re litigantium labores, videre est apud PETAVIVM *in dogm. theol. tom. 5. Lib. 7. cap. 7. 8.* Quidam plane inficias iuerunt CHRISTVM suisse seruum, praesertim IOH DAMASCENVS, THEODORETVS, DIONYSIUS ALEXANDRINVS, et alii, quibus et HADRIANVS PAPA et Franciford. concilium adstipulantur. Alii contra multis interdum inutilibus distinctionibus seruitutem CHRISTI pro aris & focis propugnarunt.

### §. 29.

Principiis rite premissis argumentationem ipsam super-  
struendi periculum erit faciendum. Priusquam vero ad rem explicatio fla-  
ipsam accedamus, id agendum erit, ut statum quaestionis ab ini-  
tus questionis.  
nō

tio rite figamus. Enim uero non in eo allaboramus, vt demonstremus, vel potius effingamus, CHRISTVM prorsus non obligatum fuisse legibus diuinis, sed potius contendimus, CHRISTVM interna et consequente obligatione ad munia mediatoris persoluendā adstrictum fuisse. Siquidem CHRISTVS hominum miseria, aequē ac *Q̄idāv̄ḡw̄p̄ta* permotus, obligationem hanc spontaneam subiit (§. 25. 26.) foedereque aeterno cum patre et spiritu sancto ad eandem implendam compulsus est (§. 26.), hinc interne et consequenter illum obligatum fuisse sancte credimus (§. 7. 9.). Nec id acturi sumus, vt euincamus, CHRISTVM, qua DĒVM, obligatione antecedente, et externa solutum fuisse, cuius contradictoria sententia nemini purioris theologiae gnaro in mentem vñquam venire potest (§. 12. 18. 19.). Nec denique, vtrum CHRISTVS legibus humanis addicitus fuerit, quibus omnino, quoad in terrarum orbe vixit, obedientiam praefuit ob euacuationem spontaneam, verissimum autem est, qui respectu DEI exlex est, et hominum respectu talis esse debet. Sed in eo vñcice cardo rei vertitur, vt euictum reddamus, CHRISTVM hominem ab obligatione antecedente, et externa legum diuinarum vacuum esse. Praeterea id obserues, si CHRISTI humanam naturam scorsim consideramus, id tantummodo abstractine fieri, non vero extra vniōnem hypostaticam positam a nobis considerari(\*) .

(\*) Sicut nulla plane ne manifestissima quidem veritas est, quae ab hominibus insultibus non allatrat atque lacelita sit, ita et nostra veritas patria experta est fata. Impugnat autem instar conjectari ab omnibus obedientiam CHRISTI aetiam ad satisfactionem pertinere, negantibus. Quo referuntur praeter Pelagianos, Sociniani, quod videre est apud SOCINVM, *prælect. theol. cap. 18.* et SCHMALZIVM *exam. 156.* error. Arminiani et Reformatorum nonnulli IOH. PISCATOR in primis *vol. 3. thes. theol. l. 25. th. 18.* DAVID PAREVS in *Rom. V.* aliique, quibus ex noltratis obuiam inerunt CALOVIVS, de litteris et typographis meritis, tam in *Socinismo profig. de Christo tit. 5. de impletione legis a Christo facta controv. 1. 2. et in Iystemate theol. tom. 7. art. 4. cap. 2.* GERHARD *tom. 3. LL. l. de iustific. §. 56 - 64.* BROCHMAN in *Iyst. art. 16. cap. 1. scđt. 12. quaest. 4. pag. 443. seqq. et QVENSTAEDT in *Iyst. Part. 2. cap. 3. memb. 2. scđt. 2. quaest. 3. pag. 283. seqq.**

§. 30.

Argumentum I. ex sacris litteris desumtum deriuamus ex Argum. I. ex Philip. II. 8. cuius explicatio genuina breuibus praestruenda erit. Philip. cap. II. Apostolus in hoc capite Philippenses ad concordiam et animum v. 8. demissum adhortari satagit, mortua ad hoc desumit a CHRISTO eiusque statibus, quorum primum exinanitionis versu 5 - 8. tanquam exemplum prorsus singulare ipsis proponit, atque v. 8. quasi in summam contrahit, hinc Paulus de humili CHRISTI hominis forte sermocinatur. Verba ipsa sic interpretanda veniunt: et forma repertus tanquam homo, semetipsum humiliavit, qui factus est obediens usque ad mortem sc. σχημα synonymum hic est τὸ μορφῆς v. 6.7. et ὄμοιώσατος, quod significat formam et conditionem externam, sensus igitur apostoli hic est: CHRISTVM hominem tam eximum humiliationis praebuisse specimen, ut etiam post incarnationem non internam solum et essentialem hominum assumserit conditionem, verum etiam externam et extraessentialem ipsis fortem acceperit, omnesque infirmitates et calamitosas mutationes impeccabiles, quae mortalibus in hac vita euenire solent, subierit. Alii vocem pronuntiant theatram, incarnationemque ipsam hic occurrere contendunt; verum tunc minus recte satisficeret fini apostoli de humiliatione sermocinantur; εὐγένεις ὡς ἀνθρώπος, i.e. qui externe se conspiciendum praebuit scil. χριστὲς v. 5. ut homo, ὡς particula affueratua hic est, επαπεινώσεις εἰντὸν praedicatum hoc significat illum iudicio suo alios sibi longe anteposuisse idque εἴσαρτος, ita ut nemo ad hoc ipsum cogere potuerit, sed sua sponte factum, dum ipse auctor et principium huius euentus existit, quod iam v. 7. monuit apostolus, et hic emphaseos causa repetit. Reliqua verba h. c. additamentum efficiunt epexegeticum, praesertim ταπεινόθευσύνης χριστοῦ: γενόμενος ὑπῆρχος q. d. qui actiones legibus alterius conformes reddidit. Sensus igitur apostoli hic est; qui sponte sua ita se humiliavit, ut quamvis per se nullis legibus circumscriptus esset, sed summa libertate externa frueretur, nihilominus tamen vsu huius perfe-

D

ktionis

ctionis sponte se abdicauerit, voluntatique alterius se subiecerit  
 $\mu\acute{\chi}\eta\vartheta\alpha\tau\tau\epsilon$ , vsque ad mortem,  $\mu\acute{\chi}\eta\vartheta\epsilon$  simul successionem  
 hic inferre potest, vt hanc obedientiam a primis annis vsque id  
 mortem praestandam perseverauerit;  $\vartheta\alpha\tau\tau\epsilon\delta\varsigma\alpha\eta\varsigma$ , gradatio-  
 nem hic obuiam dilucide ostendit particula  $\delta\epsilon$ , vt non mortem  
 solum, sed et mortem violentam infamemque sustinuerit (\*).  
 Proinde sequitur de humana natura CHRISTI Paulum hic sermo-  
 cinari, diuina enim natura, omnis mutationis incapax, nec se  
 humiliare, nec mori potuit. Iam vero dicitur de illa obser-  
 vantiam legis fuisse spontaneam, hinc obligatio a voluntate al-  
 terius non dependet, CHRISTVS, igitur homo obligatione exter-  
 na solutus fuit (§. 6. 8. 29.). Ast cum reuera obedientiam  
 hanc praestitit, idque sponte, non deriuari potest ex natura ip-  
 sius limitata, adeoque CHRISTVS ex obligatione antecedente le-  
 gum diuinorum caruit (§. 9. 29.) (\*\*).

(\*) De difficultatibus huius loci vexatissimi, conf. praelaud. IO CHRISTOPH.  
 WOLFFIVM in curis philol. ad h. l. qui simul satis amplam notitiae littera-  
 riae materiem memoriae prodidit.

(\*\*) Adhuc plura loca exstant, qua veritatem euictam sicut sunt ad Ebr. VII.  
 27., Matth. II. 8. breviteris causa vero operam nostram illis denegare  
 tenemur. Licit explicitam mentionem nusquam in facris litteris existat  
 sponte largiamur, dummodo iterum nobis concedatur, dogma, quod  
 non explicate relatum legimus in facris litteris, ideo falsum non esse.

### §. 31.

Iam ad alterum argumentum pedem moueamus, quod  
 vna cum sequuturis impossibilitatem hypotheticam obligationis  
 externae et antecedentis, vt illud contra actualitatem tantum a  
 CHRISTO absuisse ostendit, euincet. Hoc desumptum est ab idio-  
 matum communicatione. CHRISTVS habuit diuinam naturam  
 (§. 18.) et humanam (§. 20.), quae utraque ita inter se vnta est,  
 vt vna alterius proprietates pro receptuitate suas fecerit (§. 22.),  
 iam vero proprietas dei est, illum obligatione externa, et ante-  
 cedente solutum esse (§. 19. 12.), adeoque et CHRISTO homini  
 tribuenda est (§. 22.), hinc CHRISTVS homo obligatione legum  
 diuinorum antecedente et externa teneri non potuit (§. 29.). Ast,  
 obiicis, nobis vitium circuli in demonstrando commissi, saltim

ex

Argument. II.  
 ex communi-  
 catione idio-  
 matum.

## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 27

ex hoc principio plus probari, quam probandum sit, dum aequa  
bene concludi posset, diuinitati CHRISTI hanc proprietatem hu-  
manae naturae obligationis antecedentis, et externae tribuendam  
esse, quod communicatio illa mutua fuit. Verum enim vero  
communicatio haec quidem mutua est, sed modus diuersissimus  
fuit (§. 22.), hinc humana natura diuinæ nihil quidquam com-  
municare potuit, nisi quod ipsa suum fecit, adeoque mutua  
fuit proprie respectu diuinæ naturae, non vero humanae, et  
id quidem pro receptuitate. Proinde non valet consequentia,  
quidquid huius communicationis competit diuinæ etiam huma-  
nae naturae competere debet. Tota insuper haec communica-  
tio ob officium mediatorum facta est; iam utraque haec obli-  
gatio repugnat seruatori nostro (§. 25. 26.), hinc sarta testa-  
que manet nostra demonstratio (\*).

(\*) Nec est, quod hic vniuersalitatem obligationis hominum erga DEVM  
iure creationis in medium proferunt aduersarii, siquidem CHRISTVS ho-  
mo multa peculiaria iam supra indicata habuit, proinde nihil nobis  
detrimenti subnascitur ex hac vniuersalitate.

### §. 32.

Argumentum III. ex impeccabilitate humanae naturae Argum. III. ab  
Deandōw̄s petimus. Sicut ad moralem obligationem requiri- impeccabilitate  
tur actio ratione executionis libera, cuius oppositum non inter- hum. nat.  
ne solum, verum etiam physice & moraliter possibile est (§. 4.  
5.), ita etiam obligatio externa ad legem supponit actionem lege  
praescriptam, oppositum habere aequa physice ac moraliter  
possibile (§. 6. 7.), quaecunque igitur actio non ita comparata  
est, ut formido oppositi, et physice et moraliter adesse possit,  
illa obligationis ad legem nullo modo capax est (§. 4. 7.), at-  
qui CHRISTI hominis actiones ad unum omnes hypothetice  
impeccabiles fuerunt, seu & physice et moraliter impossibile fuit,  
ut CHRISTVS actionem legi diuinæ et diametro oppositam patra-  
ret (§. 24.), proinde actiones ipsius legibus diuinis teneri non  
potuerunt, saltim superuacaneum fuisse, quod itidem de sapi-  
entissimo legislatore nullo modo cogitari potest (\*) (§. 12.).  
Enim vero si CHRISTVS homo legibus diuinis circumscribi non  
potuit,

potuit, et obligatione earum externa subiectus esse nequit (§. 7. 29.), idque cum physice impossibile sit, quanquam absolutam extra vniōnem hypostaticam possibilitatem concedimus (§. 13.), nec talis obligatio ex natura ipsius deriuari potest, obligatione igitur & antecedente solitus fuit (§. 29.). Caeterum si in CHRISTO homine negamus actiones ratione executionis liberas, non simul eiusdem libertatem evertimus, siquidem hanc speciem libertatis non ad essentialia libertatis spiritus retulimus, sed modi in star, mortalium libertati inhaeret secundum nostram definitionem libertatis (§. 4.).

(\*) Verissimum duco ex hoc fonte plerasque leges et diuinias et humanas ortum suum traxisse, quod actiones contrariae malae commissae anteā fuerint, ita ut legislatoria potestate instruēti anſam legum suarum inde sumferint. Vnde enim in iure Can. leges deriuares? In ecclesia conseruata non negotiations et inhospitalitatem locum habere debere, item ius amortizandi, aliaque, niſi ciuimodi facinora et rapinae anteā esſent commissae. Pari paſſu ambulant leges diuinæ, licet ob dei præuisionem non necesse est, ut actio, lege prohibita, iam actu patrata sit. Mandatum enim primum de non vescendo arboris fructu a DEO datum non fuisset, si homini transgressio eiusdem physice impossibilis fuisset, ac deus actualitatem eiusdem non præsciueret.

## §. 33.

Argum. IV. ab  
œuvres de  
hum. nat.

Argumentum IV. ex impersonalitate humanae naturæ in CHRISTO colligimus (§. 23.). Nihil enim niſi persona moraliter obligari potest (§. 11.), iam CHRISTVS, quatenus homo fuit, non est ens per ſe ſubſiēns (§. 23.), licet intellectum et voluntatem habuerit, propria tamen ſubſiēntia caruit, hinc et nota characteristicæ personæ (§. 11.). Sed vis illa finita inhaefit infinitæ (§. 23.), adeoque actiones nonniſi coniunctim cum hac vi infinita patrare potest, hinc nec connexio motiuorum cum talibus in humana natura quā tali, locum inuenit, obligari igitur moraliter nequit (§. 2.), adeoque ſequeretur humanam CHRISTI naturam, nec externe, nec interne, itemque nec antecedenter, nec conſequenter obligari potuisse. Verum enim vero

## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 29

vero quamquam humana natura propria personalitate cauerit, tamen alienam naturae diuinæ accepit, quæ huius defectus complementum constituit (§. 21. 23.), hinc et pro receptu huius acceptæ personalitatis obligari potuit (\*), quæ cum personalitas filii DEI sit (§. 17.) CHRISTVS, qua homo interne et consequenter obligari potuit (§. 12.), aut hypothetice impossibilis antecedens, et externa obligatio fuit (§. 12. 21. 29.).

(\*) Conferri hic merentur ad illustrationem, quæ eundem in finem præmisimus §. 11. de officiis corporis ab ethicis præscriptis; inde apparebit ex coniunctione duorum vel plurium posse unum, extra hanc coniunctionem alias obligationis expers, in obligationis sphæram transferri.

### §. 34.

Quintum et ultimum argumentum nostrum (\*) in of. Argum. V. ab ficio regio mediatoris nostri deprehendimus, cuius rationes ita officio regio subducimus. Mediator noster fuit rex, aequo secundum humanam ac diuinam naturam (§. 27.), et quidem ea ratione, ut independentia suimet ipsius perfecta gauisus sit (§. 28.), hinc et superior fuit, qui a nullius voluntate pendet (§. 6.), proinde nec obligatio eiusdem quatenus homo fuit ab arbitrio alterius deriuari potest (§. 7.), hinc externe respectu legum diuinarum obligari nequit (§. 29.). Nihil enim insulsus foret, quam adfirmare, eum, qui respectu diuinæ naturae ipse auctor legum est, et per yniōnem hypostaticam respectu humanæ idem factus, obligatione externa & antecedente legum suarum teneri (§. 7.), iam vero CHRISTI hominis obligatio ad legem DEI ex natura ipsius limitata ob independentiam suam contrarium potius offendens cognosci nequit, hinc & obligatione antecedente solitus esse debuit (§. 29.), cumque CHRISTI hominis regia maiestas yniōne personali nitatur (§. 27.), quæ hypothetice tantum possibilis fuit (§. 21.), hinc et hypothetice impossibilis fuit obligatio ipsius antecedens et externa (§. 29.) (\*\*).

(\*) Pluribus argumentis hanc veritatem corroborare dissentat, nostræ limites interdicunt. Nec nos fugit argumentorum cumulum ad veritatem

## DISSERTATIO THEOLOGICA

rei intrinsecam, parum conferre, et si indubium sit, certitudinem et coniunctionem, haud mediocrem inde capere accessionem. Neque inficiabimur, adhuc alia huius rei argumenta in medium proferri posse, interim haec ad tyrocinium ponendum sufficiente.

(\*\*) Ad hoc argumentum quod attinet facile praenudimus ab iis plane negatum iri, qui Socinianum more, CHRISTVM, dum in terris his vixerit, regem suisse negant. Verum neque unicum est, neque cum his aduersariis hic nobis res est.

## §. 35.

de expiatione  
CHRISTI pro  
aliis.

Supereft, vt et huius veritatis demonstratae foecunditatem et grauitatem brevibus ostendamus. Quem in finem id in sequentibus acturi sumus, vt veritates ex hoc fonte propullentes in medium adferantur. CHRISTVS est mediator noster, qui nostri causa locoque legibus diuinis earumque praescriptis obedientia tam actua quam passiva satisfecit (§. 25. 26.), iam necessarium est, vt is, qui pro altero legum praescriptis satisfacere sponder, obligatione propria ad haec liber sit (\*) Gal. IV. 4. Se inuicem enim euerteret, si quis, quod pro se ipso praestare tenetur, alterius causa factum esse afflere vellet. Quare si CHRISTYS satisfactionem vicariam perficere debuit, necessarium fuit, vt obligatione legum diuinarum propria caruerit, etiam qua homo (§. 30-34.), quod & quatenus homo satisfactionem nostram primario peregir (§. 25. 26.), adeoque negata hac veritate demonstrata, momentum constitutuum satisfactionis CHRISTI concidet. Cum potissimum CHRISTVS typos veteres non exakte retulisset, ad quod tamen totus cultus Israelitarum respexit Ebr. X. 1. VIII. 5. Col. II. 16. 17. nisi in sacrificio suo cruento propria obligatione solitus fuerit. Ad sacrificia enim veteris testamenti requirebantur bruta sine villa macula, quae adeo nulla propria obligatione subiecta erant.

(\*) Conserri hic et in seqq. maxime meretur PRAESID. nostri s. YEN. institutiones theol. moral. eleg. antissimae P. I. cap. 5. §. 58.

continuatio.

## §. 36.

Si CHRISTVS homo obligatione legum diuinarum solitus fuit (§. 30-34.), nec ad praescripta earum seruanda cogendus

## DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 31

dus fuit (§. 13.), hinc nec leges diuinis transgressione violare potuit, vbi enim nulla lex, ibi nec locum habere potest violationis istius. Si leges diuinis violare nequit, nec ad reparationem violationis obligatus fuit. Quare pro semetipso legibus diuinis satisfacere non opus habuit (§. 35.) Ebr. VII. 27. adeoque ipsi possibile fuit pro aliis legibus diuinis satisfacere accedente consensu DEI, partis laefae, quamquam non hominis laedentis, utpote in cuius emolumentum haec mutatio cedere debuit, nec sine praevio consensu actu particeps fit eiusdem. DEVS vero hac CHRISTI innocentia fortiori motu mouebatur ad consensum huic mediationi praebendum, quam si a parte laedente oblata fuisset, cui omnes aditus ad commercium cum DEO ex perduellione praeclosi erant, non vero CHRISTO, qui ipsum ne laedere quidem poterat, hinc et consensus DEI ipsi obtentu facilius erat, eumque et revera obtinuit Matth. III. 17. XVII. 5. 2 Petr. I. 17. 18. Hinc iterum appetet necessitas veritatis a nobis iam euictae, tam remouendi satisfactionem CHRISTI pro semet ipso, quam corroborandi illam pro hominibus factam, nec denique sine insigni iniustiae specie fieri potuisse, vt DEVS CHRISTVM hominem, quem (§. 23.) impeccabilem demonstrauimus, ad supplicium ab alio contractum, dandum, lege cogere voluisset.

### §. 37.

Homo respectu DEI nihil quidquam mereri potest (§. de merito 14.). CHRISTVS vero homo legibus diuinis prorsus solutus est, hinc actiones ipsius ad unum omnes ita comparatae sunt, vt non sub legum praescriptis comprehensa sint, iam CHRISTVS actiones suas nihilominus lege subiecit (§. 25. 26. 29.), proinde actiones patravit, legibus diuinis ultra mensuram praescripti satisfacientes, quae mensura praescripti ad actiones hominum tantum restricta est. Hinc CHRISTVS homo respectu DEI meritorum capax fuit, salutemque hominum promeruit (§. 14. 26.) (\*).

(\*) Contrarium aduersarii nostri Sociniani eadem ratione ex principio huic

32. DE CIRCE. DISSERTATIO THEOLOGICA

hunc opposito deducunt, quod videre est apud SOCINVM Lib. 3. de Christo servatore cap. 5. CHRISTVS, inquiens, ut verus homo iure creationis pro se ipso debuit DEO obedientiam vitae totius plenam, qua propter illa (nimur obediencia actua, quam a satisfactione CHRISTI exsultare garrunt) nihil nobis promeruit. Adeoque principio nostro stabilito & demonstratio nostra valere debet.

§. 38.

homines ad satisfactionem ineptos esse.

Quicunque pro alio legibus diuinis satisfacere satagit, propria earum obligatione carere debet (§. 35.), iam mortales ad vnum omnes propria obligatione legibus diuinis obtemperandi feruntur (§. 13.), prorsus vt ne pro semet ipsis quidem legibus diuinis plenariam obedientiam praestandi viribus valeant (§. 14.), tantum abest, vt pro aliis se oppignorare queant, hinc nemo mortalium ad expiationis negotium subeundum viribus sufficientibus instructus est. Cui accedit moralis illa impossibilitas vitam ponendi pro alterius salute (§. 15. 16.). Cum legibus diuinis vitam suam conseruandi non vero temere de statione vitae decadendi adstringantur. Quam impossibilitatem Dauides diserte professus est PI. XLIX. 8. 9. פֶּרַח אֲחָת לְאַפְּרִיּוֹן וְקִרְבָּנִים נְשָׁמָה וְחַדְלָתְּלוּיִם

אֵישׁ לֹא יָחַן לְאֱלֹהִים פָּרוֹן וְקִרְבָּנִים Hinc sole clarius patet vndique propriam mortalium obligacionem vicariae satisfactioni officere. Omitimus hic reliquos satisfactionis characteres ab homine longissime absentes, quo veritatem necessarius, qui operatione naturae diuinae in CHRISTO homine etiam adfuit (§. 22.).

§. 39.

Spontaneitas CHRISTI summa in satisfactione.

Quicunque alterum nec laesit nec laedere potest, ad reparationem damni ex laesione orti cogi nescit (per princ. I. N.). Sin vero nihilominus reparationem damni ab alio illati sibi sumserit, id non alia ratione fieri potest, quam spontanea liberrimaque sponsoris ad eandem oblatione. Etenim iniustissimum esset, poenam ab aliquo sumere, quam nunquam meruit, quid quod? ipsi poenae conceputi obversatur, quae est malum physicum ob malum morale collatum; vbiunque igitur nullum

DE CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE &c. 33

lum malum morale nec malum physicum adesse potest. Nisi sponte facta mali moralis surrogatione, hinc non nisi mutuo consensu intercedere potest eiusmodi sponsio, ad quem nemo cogi inuitus potest (§. 7. 9.). Multo magis haec iniustitia a foro diuino remota est, quod neminem inuitum ad poenam alienam sustinendam vñquam cogit. Quare DEO satisfactionem pro hominibus praestiturus, id sua sponte molliatur, necesse est. Obligatio spontanea in ipso agente sufficientem rationem habet non in alterius arbitrio adeoque nemo ad hanc actionem externe et antecedenter obligari potest (§. 6. 9.). Iam CHRISTVS homo hac obligatione solitus est (§. 30. 34.), et reuera pro hominibus satisfecit (§. 25. 26.), hinc obligationem hanc sponte subiit mediator noster Ioh. IV. 34. X. 17. 18. Ebr. X. 5. 7. Sequitur proinde ex hac deductione simul defensio iustitiae DEI in constituendo hoc sponsore, dum DEVS ipsum non constituit violenter, sed semet ipsum proprio marte παρέδοκε. Verum enim vero vtrumne iustitiae diuinae aduersetur huius vadimonii acceptatio, quae ipsum mortis periculum huius innocentis poscebat, alia quaestio est, et euanescat, cum §. sq. CHRISTI mediato-ris iustam αὐτιψύχων simul cuietam dederimus.

§. 40.

CHRISTVS homo obligatione legum diuinarum antece- de CHRISTO  
dente, et externa solitus fuit (§. 30. 34.), hinc et ab obligatione αὐτιψύχω.  
legis diuinae αὐτιψύχων hominum prohibentis liber fuit, adeo-  
que mortem hanc vicariam sine violatione legum diuinarum sub-  
ire potuit (§. 39.). Iam vero mortis supplicium pro hominibus  
sponte perpeccus est (§. 25. 26.), adeoque et reuera sine omni iu-  
stitiae suspicioне αὐτανδρος noster factus est (§. 15. 16. 39.).  
Ast obiicis, CHRISTVS tamen homo vitam iure creationis accepit a  
DEO, adeoque eius usus voluntati autoris conformandus est. Sed  
respondeo: ex iure creationis nihil quidquam ad CHRISTVM protra-  
hi potest, siquidem non naturali nascendi modo in lucem editus est  
(§. 31. Schol.) adeoque non valer consequentia. Deinde verissi-  
mum quidem est, CHRISTVM accepisse vitam a DEO, sed ob commu-  
nicationem idiomatum vna cum reliquis perfectionibus, & hoc

E

domi-



34 DISS. THEOL. DE CHRISTO HOMINE &c.

dominium in vitam suam communicatum accepit (§. 22.): Proinde vsuma eiusdem pro libitu suo distincto dirigere penes ipsum fuit, id quod ipse dixerit in loco supra allegato Ioh. X. 8. collato cap. XIV. 31. vbi id ex amore erga patrem, non vero ex obligatione externa proficiēti dilucide contendit seruator infallibilis. Quare velata, DVM iniustiae hac in re insimilantum, sententia exprobratur, nugantium vii in foro humano iudex eiusmodi devotioni calculum adiecere non posset sine grauissima iniustiae suspicione, ita nec DVM sine violatione suarummet legum huic *autr. lūxā* annuere potuisse. Diversissima enim conditio hominis et CHRISTI est, iudex humanus talenm devotionem leges diuinæ migrare vitamque hominum peculiare dei donum esse, quod semel amissum nunquam reparari potest, optimè conscientis est, consensu igitur suo alienum peccatum suum faceret. At CHRISTO vitam ponere et assumere licet (§. 28.), adeoque Deus admissa hæc morte vicaria leges suas non eruauit. Ab altera parte vero grauiter errant in propaganda *autr. lūxā* crudelitate provocantes ad exemplum CHRISTI, quem in omnibus imitari fas sit, quibus cum facit FRID. RAPPOLTVS *in theol. apbor. Ioh. tom. 1. opp. theol. pag. 734.* Verum caueant sibi, ne ultra tertium comparationis similitudinem extendentes risum mouant, CHRISTO enim in tantum similes eudare nostrum est, quantum possibile est, proinde hac in re CHRISTVS nobis esse exemplo nequit (§. 15.) (\*).

(\*) Merito hic euoluendi sunt theologi consummatissimi IOH. GERHARD *in exeges. l. 4. thes. 326. 10. DORSCHAEVS in pentadecade disp. 2.*

IO. GUSTAV REINBECK *de satisfactiōne per Autr. lūxā MICH. FORTSCHIVS in decade differr. select. dispt. 9. de satisfactiōne Christi, et prae- laudatus THEODOR. CRÜGER l. c. §. 21. 22.*

§. 41.

Totus Israëlitarum cultus diuinus fuit typus CHRISTI (§. 35.), hinc CHRISTVS non sacrificia solum, sed & sacerdotes representare debuit 1 Tim. II. §. 6. Ebr. II. 17. quorum officium fuit aliorum peccata sacrificijs expiare Leu. XVII. 11. II. 4. Num. XXVIII. 22. 30. Luc. IV. 20. 26. 31. 34. Ad quam functionem autem requirebatur, vt sacerdos iuste a propria culpa vacius legi diuinæ pro semetipso facere non teneretur Ebr. IX. 7. 9. VII. 26. 27. quod cum prava omniū hominū conditio ferre non posset, necessarium fuit, veteribus sacrificiis, hanc ob causam, vt prius satisfactiōne propria legibus diuinis morem gererent, quam aliorum peccata vicario munere delerent Leu. XVI. 3. 6. At CHRISTVS seruator legibus diuinis prorsus solutus, pro te simili sacrificio oblato satisfacere non opus habuit Ebr. VII. 27. sed veteres typos longe superando pro aliis immolauit.

T A N T V M.

CHRISTVM sa-  
cerdotibus  
Leuiticis  
prævaluisse,

AESTVMATISSIMO  
RESPONDENTI  
S. P. D.  
PRÆSES.

**A**b edito a me nuperrime indice et habitarum a meis disputationum et argumentorum disputandorum primus in arenam academicam prodis reliquum ordinem comilitonum ducturus, qui propediem TE excipient dissertationibus suis, quarum una iam ex iustificatione mea ad typographum transit, duae censorum examen sustinent. Facit haec ipsa accumulatio laborum extraordinariorum curarumque distractio in summa otii penuria, ut etiam TIBI omnino pro humano, et aliis forte, quod aequitatis foret, mihi certe ipse minus satisfaciam. Tractatum plane non reuocau, neque his litteris supplementa destinau. Reddam tamen hic breuiter rationes, quibus & mihi se approbauerit argumentum dissertationis, & alios facile commendari posse existimem. Quas ita subducam, ut ad duas redeant. Vnam in efficienda virilate et necessaria curatoris determinationis doctrinarum sacrarum ipsorumque locutionum colloco, quae ex nexu, quo singulae cum aliis cohaerent, dividicanda es, neque evidenter apparat, quam in bac grauissima doctrina de CHRISTO. Bene multa, fateor, in illa occurruunt a doctoribus ex sacris litteris definita, quae insignem suspicionem tricarum subtilitatumque scholasticarum faciunt, quibus non solum prisa simplicitas secure caruit, sed recentius etiam theologi non indigerent, nisi ipsa haec securitas in tanta hominum errandi facilitate necessitatem insueret. Et sollicite sigendi & caute circumscribendi cogitationes ac locutiones de rebus, in quibus non sine discrimine erratur, et leuis versi rectique migratio, apud primos auctores nec opinantes admodum excusabilis visa, incredibile saepe momentum trahit ad conuellendam subruendamque ipsam arcem rei christianaæ, funesta saltica

salem concertationum litiumque excitatione. Historia conciliorum tertii, quarti, & quini satis id comprobatur, ut dissensiones de CHRISTO filio DEI adoptivo, creatura, seruo temploque DEI dicendo non commemorem. Quare quum & impersonalitas humanae CHRISTI naturae et immunitas eiusdem ab obligatione externa spontaneam expromissionem praegressa indubie eo pertineat, ac fastidiose et superciliosae a nonnullis ad inutiles et otiosas minus-tias reseratur ex scholis christianis proscribendas, poterit curatio-ri illius tractatione apud omnes confabare, quam referat integrati-tatis purioris doctrinae prouideri, ne quid luxetur et infringatur in corpore doctrinarum sanctorum aut conuellatur et extimatur ex concatenatedo eorundem nexus. Alteram rationem constituo in felicius amolitenda temeritatis aequa ac pertinaciae obrectatione, cuius insimulamur ob sententias de communicatione idiomatum in CHRISTO, quas nonnullis excogitasse et tueri videmur ad opinio-nem nostram de sacra coena speciosius pingendam stabilendamque. Abunde enim communis erat haec disquisitio, non magis cobaerere sententias illas impugnatas cum doctrina de vera corporis CHRISTI in sacra coena praesentia, quam cum ipsa doctrina de satis-factione. Vberius haec disputare aut plura addere tempus probi-bet, et operarum festinatio, quas non morabor. Neque animo in-dulgebo in prolixissimae voluntatis erga TE meae significatione et gratulationis officio, quae paucis expediam. Stadium academi-cum feliciter emensus omnibusque tironis impigri, et progressuum faciendorum studioffissimi laboribus laudabiliter defunctus in patriam redi diuinis auspiciis, ingenium, litteras, dexteritatem & salutares in primis doctrinas ad ciuitatis sacrae visitatatem refer, spem, quam fecisti optimam, quoad viues ample, DEOque consecra-tus meis etiam supplicationibus commendatus rem TVAM age rectissime. Dedi Halae ad Salam in acad. Frideric.

d. XV. Sept. clo lcc XXXXII.



*Th. 135*


**ULB Halle**  
004 917 227

3



*m. c.*





15

Q. D. B. V.

*DISSERTATIO THEOLOGICA*

DE

**CHRISTO HOMINE OBLIGATIONE LEGVM DIVINARVM  
ANTECEDENTE ET EXTERNA SOLVTO**

---

QVAM

SVB VMBONE

VIRI SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI AMPLIS-  
SIMI, AC DOCTISSIMI

**SIGISM. IACOBI BAVMGARTEN**

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE IN REGIA FRIDE-  
RICIANA PROFESS. PVBL. ORDIN.

PRAECEPTORIS AC PATRONI SVI AETER-  
NVM DEVENERANDI

D. SEPT. M DCC XXXXII.

ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

AVCTOR

**IOANNES NICOLAVS KIRCHHOFF**

MAGDEBURGENS.

---

HALAE MAGDERVRGICAE, 1748.

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

